Historia Scholarum

Vratislaviensis gymnasium Elisabet.

Paedag: 732.

Feihneri Joh: Oriens ex alto Jesus

Christus etc. 1650.

44

Q. D. B. V.

ORIENS EX ALTO JESUS CHRISTUS, QUI SALUTARI LUMINE OMNES GENTES VISITAVIT,

AB ADOLESCENTIBUS NONNULLIS IN GYMNASIO ELISABETANO

VI. CALEND. FEBRUARII
HORIS AB VIII. MATUT.
CELEBRANDUS,

DUCTU

M. JOHANNIS FECHNERI.

VRATISLAVIÆ,
Typis Hæredum BAUMANNI
cIɔ Iɔc L.

156.

Lectoribus Benevolis Gaudere & Bene-rem-gerere.

ESse quid hoc dicam? Circum Sol aureus arctum,
Deserit, & statione Noti regressus ab ima,
Altius urget equos. Num Christus prodit in Orbem,
Lucifator, peplum noctis qui summovet atræ,
Extenditq́ diem? Certè Sol nuper inertes
Lumine vix crepero despexit ab æthere terras,
Obliquum dum mensus iter subtraxit amicam,
Penè diem nobis, & plenæ lucis honorem,.
Clarius exactâ caligine rideat aër
Candidus, applaudat tellus gratantibus astris:
Panditur en iterum domus omnipatentis Olympi,
Titaniq́ novum Janus cum mitibus Horis
Laxat iter; furvas sed nox nigra contrahit umbras.
Exorere, exorere, ô promissum gentibus olim,
Lumen, & illustra radiis cœlestibus Orbem,,
Deformes pago quem præcinxère tenebræ.
Tempus adest lætum, quod primo major Eoo
Irradiat splendore novo nova stella Jacobi.
Quisquis Justitiæ Solem tibi poscis oriri
Tænaria Mundi septus caligine, sursum,

In

In Cœlum vultus tolle: spectare licebit
Illic æternæ lucis prælustre sigillum.
Phosphorus ecce novus, cujus radiatile lumen
Insigni vincit stellam fulgore diurnam,
Nunciat auroræ populis in Perside terra
Apparere DEUM carnis sub tegmine Christum.
Non hoc obscuris inservit noctibus astrum,
Nec vaga cornigeræ sequitur vestigia Phœbes:
Sed cursum plenâ moderatur luce dierum,
Prodere divino lumen de lumine natum.
Quamvis Oceanum metuens descendere in æquor
Non obeat septem sidus glaciale trionum:
Caligante tamen nuptum plerumq; calyptrâ
Sub nimbis latitat: manet assiduoq; manebit
Signifer hic Christi, tenebris neq; mergitur ullis,
Nec tristi involvit nubis ferrugine lucem.
Occidat Hydra nocens, & si quæ stella maligno
Adspectu gravis est. Non afflet Sirius Orbi
Occultam pestem, dirum nec gentibus omen
Ostentet cœlo barbâ rutilante Cometes.
En etiam claro paret manifesta sereno,
Et defecato procedit in æthere stella
Christi, terrenæ quæ noctis lustrat abyssum.
Hujus ad exortum pallet discinctus Orion,
Disparet Pollux, Nautis Arcturus iniquus
Conditur, obtusum non audet tollere cornu
Taurus, nec profert stellatam Scorpio caudam.
Hinc fugit Alcides, fugit inde Sagittifer ardens,

Deser-

Desertâq; Poli decedit Jupiter aula.
Nec Lunæ tantùm cives noctisq; coloni
Diffugiunt cælo majori luce repulsi;
Ipsa facem mirata novam Matuta micare,
Jam redeunte die, rutilo neq; cedere Phœbo,
Hæret, & exspectat Phaëtontis pallida casum.
Vidit Achæmenia procul in regione Magorum
Naturæ consulta cohors prodire serenum
Christi vexillum, & cælo radiare diurno,
Vidit &; Ille quis est, exclamat, Rector Olympi,
Sidera cui parent, cui lux famulatur & æthra:
Cernimus eximium decus, & venerabile nasci,
Quod sine principio nullis damnabitur ævi
Noctibus, ante Chaos quod splenduit, ante creatos
Axes cælorum, cum nîl extaret eorum,
Quæ nunc lativio complectitur Orbis in orbe.
Scilicet hic ille est promissus gentibus Heros,
Hic ille est populi Rex & dominator Hebræi.
Nec mora cælesti perculsi pectora flatu
Ingrediuntur iter certi perquirere cunas
Infantis Domini, & quà sulcum stella coruscum
Traxerat, ac liquido signârat in aëre callem,
Hac illi cursu properante sequuntur ovantes.
Sed tandem dux ille viæ & divinior Hermes
Substitit, & pronâ face supra verticem Hebræi
Suspensus pueri Regem indigitavit Jesum.
Quod postquam vidit, Magus exultavit Eous,
Lancibus & plenis Aurum, Tus, Myrrhea dona

In gremium Mariæ pannis puerilibus offert.
Scilicet his donis Regemq; Hominemq; Deumq;
Signavere Magi. Regem denunciat Auri
Splendida massa, DEUM generosi Turis acerra;
Myrrheus ast pulvis tumulandi est corporis index.
O ter felices animas, queis talia primum
Nosse datum, & divi speculari luminis ortus,
Ingentes etiam radios quod spargit amicos!
Jam præter morem clamatur; Adeste profani,
Et spectate recens-nati mysteria Christi.
Nullus enim, qui vos excludat, Janitor obstat,
Ire, redire licet per aperta sacraria, visat
Communem ad Regem recutitis mixtus Hebræis
Ethnicus. En fulget passim rudibusq; sophisq;
Lux Domini, Solis quæ replet utrumq; cubile.
Pastor nuper iners inter veterina jacentem
Jumenta agnovit prolem felicis Olympi,
Soteremq; novum Mundi: nunc Natio docta,
Et Magus interpres cœli noscitq; colitq;
Virginis innupto pendentem ex ubere Jesum,
In cujus regno nullum discrimen habetur.
Paganus Verpusve fuat, doctusve rudisve,
Acceptus Regi nostro est, qui venit in orbem,
Quærere mortales, quos avius abstulit error,
Et gentes Evangelii lustrare lucernâ.
Hic populi Rex Judaici, qui germine surgit
Jessæo, regnum sceptri virtute potentis
Protollit terras longè lateq; per omnes,

Jungit

Jungit & Hesperias Orientis finibus oras.
Audit ut Herodes, hunc natum in luminis auras,
Horret, & Eumenidum furiali percitus œstro
Exclamat: Successor adest; Puer iste paterno
Nos deturbabit regno. Rape protinus ensem
Miles, & infantum cunas, age, sangvine inunda.
Sic fieri jubeo. Masbimulus occidat omnis.
Nutricum scrutare sinus, & ab utere matris
Direptos tenero pueros transfige pusillos.
Est suspecta novo Bethlem mihi perfida partu,
Subdola ne forsan struat infantaria fraudem,
Addictamq; neci subducat callida prolem.
Ergo tortor atrox stricto mucrone domatim
Ad cædem raptat nuper corpuscula fusa
In lucem, fœtusq; mares, animasq; novellas
Cuspide rimatur sævâ. Vix sica minutis
Invenit in membris, ubi certum merserit ictum.
O dirum facinus! Licet omnia syrmata volvas,
Tale necis monstrum nusquam reperire licebit.
Non sic ad crudas Læstrigon sæviit aras,
Non Siculus Cyclops. Crudelis cœna Thyestæ
Mitior hac cæde est. Saxis illisa tenella
Cervix permixtum fervente cruore cerebrum
Dispergit, patulumq; vomit per vulnus ocellos
Afflictim elisos; puteis vel mergitur altis
Pusio, cui subter præclusis faucibus unda,
Intimus & pressi singultat anhelitus oris.
At vos martyrii flores, salvete, novelli,

Hostis

Hostis atrox Christi quos ipso in limine vitæ,
Decutit, ut primas Austrinus turbo rosellas.
Hostia nascentis vos primula Salvatoris,
Et grex innocuus Christi pro nomine cæsus,
Palmis & sertis ante ipsas luditis aras.
Quid tamen Herodes truculento proficit ausu?
Quid crimen juvat infandum patrasse? Tot inter
Funera cæsorum lanienam impune cruentam,
Effugit, adq; necem quæsitus virginis infans
Ferrum carnificis solus ferale fefellit,
E patriâ Pharios concedens exul in agros.
Quid fremit Herodes, quid consternatur Apella?
Eripiet nulli sceptrum Rex ille pusillus,
Nec regnum mortale (metum depone) capessit.
Imperium struet æternum, quod nulla potestas
Destruet. Ipse licet vires contraxerit omnes
Orcus; non poterit solium convellere Christi.
Subjectum ille reget patriis virtutibus orbem,
Et premet imposito dejectos calce Tyrannos,
Unctum qui Domini furiosâ mente lacessunt.
Exulta Sion: Promissus prodiit Heros
Jessidæ Vati, qui bis sex stemmata fratrum,
Æternis reget Imperiis intermina condens
Secla. Palæstinæ concludi finibus arctis
Nescit: sed toti Mundo dominatur ubiq;.
Gentes, quæ pridem lignum larvale colebant,
Fictilium svetæ genua incerare Deorum,
Ante pedes Jesu sese prosternere gaudent,

Fanisq;

Fanisq; excitæ cœlesti voce profanis,
Collaudant verum Judâ cum congrege Numen.
Lux Evangelii cunctas penetravit in oras
Terrarum, & quicquid populorum spectat ab axe.
Sol oculus Mundi, Dominum veneratur Jesum.
Servit Arabs Christo, servit cum Seribus Indus,
Thrax servit, servit Caspi vagus accola Ponti,
Servit Roma potens, cum Græco servit Iberus,
Allmanusq; ferox. Luco pagoq; relictis
Festinant omnes ad cunas Regis Jesu,
Virginis & prolem subnixo poplite adorant.
Vox diversa sonat populorum, hæc vox tamen una:
Salvator nobis datus est, natusq; Redemptor.
Aspicis ob Christum lætentur ut omnia natum.
Ipsa parens rerum posito squalore veternum
Exuit informem natura decusq; novellum
Assumpsit, Mundi cum virgo puerpera Lucem
Prodidit in lucem. Visa est cum luce renata
Tum Borealis hiems vernam cepisse Juventam,
Et Maji faciem Jano mirante biformi.
Tellurum sparsisse ferunt rus omne benignis
Floribus & Nardo fragrasse & Nectare Syrtes
Maurorum. Sic te nascentem, Pusio Jesu,
Passim senserunt, & dura & barbara quævis.
Ergo Redemptori cum plaudant omnia Christo,
Fas erit atq; pium, pubes ut nostra Camenis
Consecrata bonis calamo & sermone celebret
Hunc Salvatorem Mundi, sanctumq; Mesiten:

Quod

Quod sanè faciet cras indulgente Jehova,
Et dicet lumen, quod cunctis gentibus ortum.
Vos verò Breslæ Proceres, & lumina claræ
Urbis, vos Musæ certi celebresque Patroni:
Quos vel Cera vetus, vel Cœli nuncia Suada,
Vel Legum consulta Themis, vel Hygéa salubris,
Vel Sophie melior, vel Virtus adserit astris;
Vos, inquam, venit oratum submissa papirus,
Ut, si non prohibent graviora negotia, prompti
Lustretis nostrum præsenti luce Lyceum,
Non dedignati Scholicâ considere in umbra.
Nam cupit à vestro splendore capescere lucem
Calliope, & gaudet doctisque bonisque probari.
Sic vos luce suâ cœlestis gratia semper
Visitet, incolumes sic vos conservet Jesus,
Qui solus vitæ fons est & origo salutis.

P.P. 7. Calend. Febr.

Series.

Series.

Cum superioribus diebus Prudentii Poëtæ Christianissimi, quem Scholis piis meritò familiariorem esse exoptat magnus ille Erasmus Roterodamus, Hymnum in Natalem Domini scriptum, publicè explanassem, placebat ductu illius, uti & alterius ejusdem Poëtæ in Epiphania, Actum quendam Oratorium adornare. Sed mora quædam præter expectationem objecta differre coëgit hanc operam. Veniam itaq; dabit benignus Lector & Auditor, si quædam hic ipsi post Festum, ut pervulgatum habet adagium, fieri à nobis videbuntur. Quanquam salutarem Christi Redemptoris exortum celebrare nunquam sit intempestivum. Neq; dum Ecclesia desiit eundem publicè meditari & deprædicare, quæ Festo Luminarium, ut vocant, instanti, cum venerando Simeone canet & extollet Lumen illud datum in revelationem gentium. Ergò quod agimus, agemus.

Produ-

Producentur Declamatores & Recitatores hoc ordine:

Michael Lerche Vratisl. *Christum Salvatorem, quoad Personam & Officium comparabit Luci.*

Johannes Langius Cremnitio-Pannon. *Evangelium & Evangelii Doctores conferet Lumini:*

Johan-Ernestus ab Haunoldt, Bogislaus Blacha à Lub/ Magnus-Antonius Götz/	*Recitabunt Hymnum Prudentii in Natalem Domini:*

Gotofredus Neander Vratisl. *disseret de Illuminatione Gentium & earundem ad Christum Conversione:*

Johannes-Fridericus Tillisch Hirschbergensis,

&

Martinus Hancke Vratisl. *Historiam miraculosæ illius Stellæ, quæ Magos Gentium Primitias, ad Christi Cunas perduxit, Carmine Epico Latino exequentur:*

Paulus Hoffman Gurâ-Sil. Gotofredus Springer Vratisl. Valentin. Süssenbach Hirsch. Balthasar Brückner Vratisl. Augustinus Wolff Schuidnic.	*Recitabunt Hymnum Prudentii in Epiphan. Domini:*

Johannes-Georgius Crusius Landshutanus *confirmabit Lumen Evangelii nullis persecutionum tempestatibus opprimi & extingui posse.*